Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2221
Quelle:
Copyright:

est, beatas fore respublicas si eas sapiencie professores gubernauerint &c. Ad rem magis accedit his verbis: *Itaque pater in christo reuerende et michi preceptor prestantissime quoniam fama vestra nomen bonum habet quod post susceptum cure pastoralis officium zelus vestraque caritas feliciter inardescit velle et mala amouendo et bona promouendo curam pastoralem ut ait paulus ad thymoteum fideliter et diligenter gerere. Visum est non esse inutile super hac arte arcium animarum regendarum que ut patet in pastorali gregorij ponderatissima est. aliqua qualiacunque auisamenta scribere sub vestre tamen paternitatis benigna correctione* &c. Si quid video, *Job. Gersonii* est Epistola ad *Petrum de Alliaco* a. 1395. ad Infulas *Anicienses* adsumtum, quem, quod in decennium Theologiam docentem audiuisset, *Praeceptorem* suum compellare in more habuit. Latuit ea, ut videtur, Procuratores Editionis *Gerson.* quam *Dupinianam* vocant, locanda ejus Edit. *Tomo II. Parte 4.* Opportunissima porro est novis Pastoribus. Libri, quos commendat, sunt: *Vite patrum. collaciones patrum. pastorale gregorii. lactancius de diuinis institucionibus. ewangelia sed maxime Jo. et luce. Epistole pauli. Decretum manipulusque curatorum* (Guid. de Monte Rocher). *uita christi de recenti compilata* (Ludolphi Sax. Carthusiani?) *etiam 2a 2e sancti thome. Summa de vicijs et virtutibus* (Guil. Peraldi) *et tractatuli varij qui iam parisius inueniuntur* &c. Sub finem V. *Puncta* maxime commendat: Iteratas Synodos provinciales; in conferendis beneficiis nullius nisi scientiae et virtutis respectum; in Synodis et Praedicationibus inculcare Decalogum, Opera caritatis, bonorum operum fructus, terrorem judicii, inferni et mortis; propriam in Examine promovendorum aut ordinandorum praesentiam; demum insertionem horum Monitorum in Pontificale, et distributionem Exemplarium descriptorum inter Episcopos et Curiales Romanos.

DLXXXII.

Codex chartaceus germ. Sec. 441 partim XV. partim XVI. Folior. 442 103. 4. currente calamo exaratus complectitur: I. *Cordiale quatuor Novissimorum*, opusculum post editionem *Colon. per Petrum de Olpe* 1477. 4. quam principem putem, Sec. XV. frequentius pluribus linguis impressum, cujus Autorem ignoro, nisi is sit *Jacobus Gruytrodius* Carthus. cui Bibliographi *Tractatum de Quatuor Novissimis* adsignant, quin uni alicui adlubuisset ejus nobis initium tradere. Titulus germanice sonat: *Dis ist das buoch des Hertzen vnd sait von den fier letsten sachen.* Initium: *Gedenk an die letsten Zit So sündest du ewenclichen niemer* &c. Abrumpitur in *Cap.* inscripto: *Wie mengerlay vnderschaid ist der Helschen pin vnd wievil aigenschaften,*